

inanibusque verbis deseratis. Nisi vero vos magis barbarorum fide, cuius periculum sæpius fecistis, compositoque ad dolos, fallaciasque ingenio nitendum arbitramini, quam Christianorum Principum fœdere, cui nuper, ut Contarenius legatus subscriberet, mandastis, in quo communem hostem, sociatis viribus, aggredi statutum est. Quis enim nobis Suleimani inclinatum ad pacem animum pollicetur? Qui post Ajacis cum Canali de concordia sermones, non ita pridem Byzantium reversus, uno eodemque tempore diversis in locis acerrimum Reipublicæ bellum intulit; Cassinum præfectum Peloponnesi urbes expugnare iussit; Dalmatiæ oram vastari, ac diripi præcepit; in sequentem annum Corcyræ denuo, atque etiam Cretæ minatur. Neque tunc ad Scardonam, atque Obroatium gesta ad illum perlata fuerant; non urbem eversam, ac solo equatam, suosque profligatos, non Obroatium expugnatum; quibus incensus, atque inflammatus animus quem iræ modum imposturum arbitramini? Et adhuc spem ex Canalis literis nobis confingimus, quæ tribus jam elapsis mensibus datæ fuere? ex quo tempore variis rerum eventibus, omnis immutata consiliorum ratio est, omnibus undique bellum circumstrepentibus. Quo fit, ut si prudenter, si recte Rempublicam turbulentis hîc temporibus administrare velimus, cuncta studia ad fœdus quamcelerrime conficiendum nobis conferenda sint; Reges ad concordiam adhortandi, ut pace firmior ad tuendam christianam rempublicam gradus muniatur. Videte obsecro, Patres optimi, ne si ii, quos inutiles cum hoste de pace sermones serimus (ut fere necesse est) ad Principum aures pervenerint, remissiores facti, atque priore animorum ardore restincto, fœdus, quod jam tenemus, summo Reipublicæ damno e manibus elabatur. Præcepto occasio est; semel amissæ seras pœnitentiæ pœnas damus, quam ultro advenientem amplexi, ingentem bonorum, ac gloriæ cumulum excepissemus. Quo porro animo Pontificem, & Cæsarem in Rempublicam fore censetis, si dum cum iis de societate jungenda agimus, eodem tempore de pace cum hoste tractemus? An quisquam suspicionem ex illorum animis evellere poterit, vos tandem cum Turca consensuros? Quonam igitur sancienti fœderis spes? quonam Christianorum Principum societas? quam tantopere Turcæ perborrescunt, ut